

tiani, Gellium citat lib. 10. c. 3., Festum, & nullum alterum ex veteribus.

Operæ modo pretium est tres hosce veteres Scriptores convenire, eorumque dicta, quanti sint roboris, pro rei veritate examinare. Festus Pompejus, in suo Dictionario, ad verbum *Brutiani*, hæc scribit: *Brutiani dicebantur, qui officia sevilia Magistratibus præstabant; eo quod hi primum se Hannibali tradiderunt, & cum eo perseveraverunt usque dum recederet ab Italia.* Complectitur ergo Festus calumnias ambas contra Brutios objectas, & quod primi ad Hannibalem se dederint, & quod ultimi ab Hannibale recesserint. Primam rejecimus contra Gellium luculentis apertisque vetustiorum Auctorum, & præcipue Titi Livii, testimoniis; alteram vero contra Appianum ex eodem Livio, aliisque, omnimode profligavimus.

Ultra tamen illa, quæ ibi sunt dicta, hæc contra Festum addere visâ sunt nobis, nec incongrua, nec importuna. Brutiani nomen a Brutiiis derivatum omnes quidem norunt; sed quam ratione postmodum Brutiani & Brutii debeant omnino confundi, absque eo quod ullum discrimen inter adjectivum & substantivum ponatur, non omnes profecto intelligunt. Calepinus utique distinguit, quum vocem unam ab altera asserat derivatam: *Brutiani a Romanis dicebantur, qui officia sevilia Magistratibus præstabant, nomine tracto a Brutiiis &c.*

Brutiani ergo vocem derivatam important, quæ quidem est vox, ut Grammatici loquuntur, adjectiva; & in hoc nos libenti animo convenimus. Negamus tamen, quod sit vox a Brutiiis derivata, & quod illius substantivum, secundum Grammaticæ leges, vox alte-